

ORDINIS MEDICI
IN
ACADEMIA LIPSIENSI

H. T.

PRO - CANCELLARIUS
D. CHRISTIANVS GOTTLIEB
L V D W I G

THERAPIAE ✓ PROF. PVBL. ORD. FACVLT. MEDICAE
DECANVS ACADEM. DECEMVIR COLLEGIOR. MAI. PRINCIP.
ET BEAT. MAR. VIRG. COLLEGA ACADEMIAE
REG. BORVSS. SCIENT. ET SOC. BOTAN.
FLORENT. SODALIS

PANEGYRIN MEDICAM

AD D. XIII. APRILIS A. O. R. MDCCLXIV.

INDICIT

ET

OBSERVATIONES QVASDAM ANGIOLOGICAS

TRADIT.

ORDINIS MEDICI

IN

ACADEMIA LIBERENSIS

H. T.

PRO-CANCELLARIVS

D. CHRISTIANVS GOTTLEB

FRID. W. I. G.

FRANCOFURTI AMBROSII

AD D. A. H. A. R. M. C. O. L. L. I. E. M.

FRANCOFURTI

ET

FRANCOFURTI AMBROSII

FRANCOFURTI

1924 T^o + 1410.



Externum totius corporis humani habitum, in proportione partium et inde proueniente pulchritudine ac deformitate, maxime variare, res est notissima: quod si enim eum ad accuratiorum aliquam normam examinare velles, non inuenies duos homines vere similes. Nec ad hanc rem declarandam totius corporis mensuram instituendam esse arbitror, sola facies hominis, proportionis partium varietates et singulares prorsus tractus ostendit, vt pictores exercitati lineamentorum adumbratione, licet colorum elegantiam non addant, differentiam hanc egregie exprimere possint. Iam etsi artifices curiosissime distributos fibrarum muscularium fasciculos, quibus varie ductis et consueti et peculiare, in animi affectibus potissimum, motus in partibus faciei exprimentur, ab anatomicis non didicerunt: tamen eos, ad naturae rationem attenti, arte allequuntur. Et quis est, qui
A 2
facies

IV

facies hominum et ductas inde delineationes accurate intueatur et inter se comparet, quin intelligat, oculorum in variis hominibus tantam esse diuersitatem, vt haec certe sola ad homines varios distinguendos sufficiat. Vti vero externus, sic et internus corporis habitus, partiumque proportionem et reliquae proprietates mirum in modum differunt. Viscera, ossa, muscoli, vasa et nerui in cadaueribus studiose disquisitis ita variant, vt, cum partium omnium differentiae annotari nequeant, praecipuas tamen describere non incongruum inueniatur: vsus enim obseruationum selectarum non tantum in anatomen, quae inde perfectior redditur, sed in alias quoque disciplinas medicas, praecipue chirurgiam, redundat.

Cum in vasorum sanguinem potissimum vehentium disquisitione versamur, in simili vtique fabrica diuersam tamen directionem deprehendimus, et ad meditationes de evolutione corporum ex primis staminibus omnino deducimur. Ardua certe res est, definire, quousque in primo stamine delineata sit animalis machina: quaedam enim partes vera et vbique determinata fabrica conspicuae sunt, in aliis crebriores occurrunt varietates. Cor rarissime a vera et in omnibus partibus determinata structura recedit, et aorta, maxima inde producta arteria, raro a sua directione deflectit, sed arcu facto ad latus sinistrum in thorace progreditur, donec ad abdominis cauum deducta, in media magis parte corporum vertebrarum descendat, et in confiniis quartae et quintae lumborum vertebrae in arterias iliacas et ramos principes diuidatur. Rami principes raro a norma generali discedunt, in aliis vero inde productis maxima, quae in minimis ramulis vix describi potest, obseruatur directionis differentia: praecipua igitur huius doctrinae capita paucis nunc percurramus, et quid potissimum in dissectione cadaue-

cadauerum a nobis attentione dignum obseruatum sit, annotabimus.

Ex arcu aortae prodeuntes rami, in dextra parte ut plurimum, innominatum formant truncum, qui in subclauiam et carotidem dextram discescitur. Ratio huius coalescentis in vnum truncum in eo posita esse videtur, quod prima arcus incuruatio ab hac parte angustior quasi est, et vix spatium concedit duobus ramis principibus emittendis, cum e contrario arcus sinistrorsum et retrorsum procedens amplificetur, ideoque aptius carotidem et subclauiam sinistram ut distinctos ramos emittere possit. Varietates tamen hac in re inuenies nonnullas, ab optimis anatomicis annotatas, vel enim quatuor distincti rami exeunt, vel, etiamsi tres consueta ratione egrediuntur, quartus et rarissime quintus ut accessorii occurrunt. Vertebrales enim arteriae tunc non ex subclauis vtrinque, et quidem harum parte posteriore, sed ex arcu aortae ipso exeunt. Rarissima tamen variorum ex arcu aortae oriundorum dispositio a nobis nunc indicanda est, quam in cadauere foeminae, cuius ossa emolita erant, in prolusione academica 1757. descripto, inuenimus.

Ex arcu aortae, post venam subclauiam sinistram transversim excurrentem, ramus emergebat, innominatus nobis visus, qui tamen accuratiore examine instituto non nisi carotidem dextram, immediate ex arcu oriundam, fistebat. Haesitauimus diu in fabricae minus consuetae contemplatione, inprimis cum hunc ramum paulo crassiores, vicina sinistra carotide, conspiceremus, mammariam internam inde productam et sub sterno descendente cognosceremus, at tamen in vicina sinistra arteria carotide mammariam simili modo non prodire perspiceremus. Ad sinistram igitur subclauiam examinandam progressi sumus, quam consueto modo

oriri, nec ullos ramos inde deductos variantes conspeximus. Subclauiam dextram itaque in ortu suo non inuenientes, in eandem attentius inquisuimus, inprimis cum in hoc ipso cadauere neruum intercostalem vtrinque duplicatum conspiceremus, de quo alia occasione acturi sumus. Tandem proximo die, cum ad arcus aortae posteriorem partem perlustrandam nos conuerteremus, eo in loco, vbi superius subclauia sinistra emergit, ramum amplissimum, aortae diametro non multo minorem, perspeximus, qui in progressu vnus pollicis infundibuli ad instar ita angustior reddebatur, vt ad diametrum veram subclauiae accederet. Ramus hic post oesophagum, quem a latere sinistro paululum comprimebat et versus dextram partem vrgebat, progrediebatur, et tandem in latere dextro ita se ostendebat, vt non tantum omnes ramos praeter inammariam internam exhiberet, sed et in axillarem continuaretur. Praeter singularem vero distributionem adhuc animaduertendum est, arcum aortae in media sui parte longe ampliorem, quam in principio et fine, deprehendi *), quod et in cadauere tum tractato ita conspiciebatur, haec vero amplitudo vltius continuabatur, et in tractu pollicis vnus cum semisse eo vsque progrediebatur, vbi iam intercostales arteriae superiores oriebantur, ibi vero tandem in veram aortae diametrum transibat. Quanquam autem gibberosa erat aegra, illa tamen in aetate iam adultiore ob ossa emollita spina dorsi inflexa fuerat, vnde minime gibberositati, sed primae et in eolutione corpusculi natae dispositioni adscribi potest insolita haec amplitudo.

His

*) Est sinus maximus aortae, quem VALSALVA descripsit et delineauit in dissertatione anatomica prima, quae exstat in operum editione Veneta 1740. 4to. p. 129. Tab. II. fig. I. E.

His expositis ad ramorum arteriae aortae generalem considerationem progrediamur. Carotis vtrique recta progreditur, in externam seu anteriorem, et internam seu posteriorem diuiditur: illa versus tempora progreditur, sub iugo arcum format, et vltius dispescitur, haec recta ad caluam excurrit, et in canali curuo ossis temporum, et a latere fellae equinae flexa tandem in encephalo varie distribuitur. Rami ex his, imprimis ex externa oriundi in ortu suo raro, in progressu tamen et in ramis inde deductis maxime variant, quam tamen rem denuo exponere superfluum et taediosum foret. In subclavia ortus et progressus vertebralis arteriae certior est reliquis ramis, qui varia ratione distribuuntur. Axillaris et brachialis imprimis arteriae distributiones insignes nobis obtulerunt varietates, quas nunc non tangimus, quoniam peculiarem et longiorem, ad operationem aneurysmatis in brachio applicandam, meretur considerationem, quam proxime exhibituri sumus.

Ex aortae trunco per pectus descendente varii, sed minores tantum ramuli egrediuntur. Ex his intercostales, a parte laterali non nihil posteriori procedentes, vtrique ordine vix turbato exeunt, et cum costarum directionem sequantur, raro a via deflectunt. Bronchiales, oesophageae et aliae minores arteriae normam certam vix seruant, sed in ortu et progressu mire differunt *).

Aorta per abdomen descendens tres potissimum maiores ramos, coeliacam, mesentericam superiorem et inferiorem ex anteriore parte, et renalem potissimum ex latere dimittit, lumbaribus intercostalium ortum et directionem sequentibus. Diaphragmaticae quidem arteriae mox in transitu

*) vid. F. RVYSCHII Epist. problem. II. tab. 2. it. VI. tab. 7.

transitu aortae post intercostales oriuntur, eandem indolem seruantes; vti vero nec eodem loco, sed paulo antea rius prodeunt, sic etiam ex coeliaca non raro, interdum ex gastrica coronaria vnus vel alter ramus, ad diaphragma tendens, egreditur. In infante sex mensium arteria phrenica communi trunco ex arteria renali dextra proxime ad eius ortum ex aorta producebatur, hic vero truncus postquam paulatim adscenderat, in duos ramos diaphragmaticos extendebatur, quorum vnus recta ad dextram diaphragmatis partem progrediebatur, sinister vero super aortam reascendens, in sinistram diaphragmatis partem modo consueto distribuebatur. In vicinis ramis nullam varietatem conspeximus.

Ab inconstanti sede has arterias phrenicas oriri, inde forte deduci poterat, quod inconstans sub respiratione situs est diaphragmatis; quod si vero perpendamus, in vtero materno et a prima delineatione respirationis organa quiescere, nec varietatem ortus producere posse, obliqua certe et antrorsum magis excurrens directio causa esse videtur. Et hoc quidem ideo aliqua probabilitate nititur, quoniam dexter sinisterque ramus coeliacae, hepatica nimirum et splenica arteria, ex eius breui trunco oriundi, certissimam originem habent, cum tertius ramus, qui arteriam gastricam coronariam sistit, in ortu suo mire variet, et vel ex ramo principe, vel ex eius bifurcatione prodeat.

Arteriarum nunc indicatarum progressus, cum a situ viscerum, ad quae transeunt, certo satis definiatur, tantum non semper definitus est, hepatica tamen, ad viscus hoc accedens, et numero ramorum, et ingressu suo saepius variare videtur, ita vt haud raro aliquis ramus a mesaraica superiore hepatis accedat, et cum ramis venae portae hepaticae eo distribuatur. Hepaticum quoque ramum ex gastrica

strica

strica coronaria procedere vidimus. In cadauere nimirum foeminae viginti octo annorum gastrica coronaria ex anteriore parte coeliacae, ad duarum linearum distantiam, supra diuisionem in hepaticam et splenicam oriebatur, et tres satis conspicuos ramos ad paruam ventriculi curuaturam mittebat, alium vero in hepatis sinistrum lobum inferebat.

Vtriusque mesentericae trunci raro mutantur, ortus tamen ramorum principum maxima diuersitas obseruatur. Et mesaraicae quidem superioris arcus, a summis deorsum, a sinistris dextrorsum flexus, aut ramos copiosos vsque ad octodecim vel viginti emittit, aut quibusdam tantum ramis sex vel septem maioribus emissis, aliquo modo in pingui mesaraei membrana productis, procedit, et tandem in innumeros ramos ad intestina progredientibus, diuiditur. Singularis haec videtur varietas, quae luculenter ostendit, in prima delineatione, quae per impulsum aliquem efficitur, aut pauciora maiora, aut plura minora ostia formari, quae tandem in ramos continuatos extenduntur. Hoc in arcus mesenterici exteriori seu conuexa parte euenit: in interiori seu concaua constans quidem ortus non deprehenditur, ut plurimum tamen pauciores rami, per notabile interuallum producti, paulo post anastomosibus magnis iuncti, tandem innumeris ramis ad intestinum crassum inferti obseruantur. Patet itaque, in conuexa parte arcus euidentiores varietates, quam in concaua produci, et tensionem externi lateris huic ortui diuerso aliquam occasionem praebere. Mesenterica inferior in varios ramos diuiditur, qui similibus anastomosibus iuncti tandem ad sinistram intestini crassi partem progrediuntur, et similes nonnunquam in origine offerunt mutationes.

B

Vt

Vt intercostales, ita et lumbares rami vtrique, et ex posteriori quodammodo aortae parte oriuntur. Renales quoque ut plurimum constanti et vnico vtrique posito trunco emergunt, et ad renes deferuntur, interdum tamen in vno vel altero latere accessoria quaedam arteria renalis occurrit, quae non in incisuram minorem, sed in ipsam visceris carnem inseritur. Nec adeo inauditum est, renales vtrique duplices multiplicesque deprehensas esse. Superiores tunc temporis loco consueto oriuntur, inferiores ad vnus vel duorum pollicum distantiam a praecedentibus prodeunt, et uti renales arteriae saepius extra renis substantiam iam in nonnullos ramos diuiduntur, et tunc eandem vario quoque tractu ingrediuntur, sic in vario quoque ramorum ex aorta egressu idem frequentius euenit, ut superiores ad superiorem renis partem, inferiores ad inferiorem transferantur. Certum itaque est, crebriores varietates ortus renalium deprehendi, quam coeliacae et mesentericarum arteriarum. In hac autem differentia arteriarum et venarum in ortu et progressu figura tamen renis constans et definita manet, neque ideo a conuolutionibus diuersis vasorum in prima delineatione turbari videtur.

Spermaticarum arteriarum constans egressus est ex aorta, sub ipsis renalibus, anteriori magis parte, cumque ille obliquus et ad angulum acutum eueniat, diameter orificiū minor ferme videtur et contractior, quam rami vltius producti, nulla tamen inde ad praestantiorem spermatis secretionem conclusio duci poterit, cum haud raro exempla occurrant arteriae spermaticae, ad angulos rectos ex renali prodeuntis, quo in casu illa differentia diametri a nobis non obseruata fuit. Liceat hic mentionem experimenti iniicere, quod aliquoties cum successu optimo instituimus.

Aere

Aere nimirum per tubulum in venam spermaticam immisso, communicationem euidentem cum venis, in pinguedine vicina versus renem et ileum deductis, inuenimus, flatu tamen simili modo in arteriam immisso, nullam communicationem neque cum arteriis vicinis, neque cum venis in corpore pampiniformi descendentes detegere potuimus. Sanguis itaque arteriosus, in spermatica arteria descendens, nunquam in venis, per corpus pampiniforme distributis, regredi videtur, sed omnis ad testiculum vsque defertur, et tunc consueta ratione is, qui in secretionem non impenditur, in venis refluit.

Ad aortae diuisionem principem et ortum iliacarum accedentes, rariores varietates obseruamus, praeterquam quod haec diuisio interdum paulo altius, interdum paulo profundius perficitur; iliaca etiam externa recto ductu progreditur, et in femorali, crurali alias dicta, arteria continuatur, interna vero, quae et hypogastrica dicitur, arcu quodam in cauitate peluis producto, varios ramos et in pelui ipsa, et ad musculos in vicinia positos distribuit. Haec distributio certior est, quam ipse ortus, interdum enim pauciores rami paulo post diuisi, interdum plures distinctim ad varias partes progrediuntur. Haec vero varietas id, quod de conuexa arcus parte supra in mesentericae magnae distributione diximus, abunde confirmat, quod scilicet in flexu arteriae inconstans sit ostiorum, et inde ramorum magnitudo et situs.

Externa autem iliaca in limitibus abdominis, vbi in femoralem mutatur, introrsum epigastricam, extrorsum vero circumflexam cristae ileum emittit. Epigastrica inter abdominis musculos ascendens ramis lateralibus excurrit, et tandem paucioribus vix conspicuis, raro copiosioribus et

evidentibus, cum mammaria interna, inter dictos musculos descendente, committitur, eius tamen tractus in vulneribus abdomini inflictis, vel per artem chirurgicam infligendis, considerari meretur. Circumflexa cristae vero introrsum magis excurrentis raro laesionibus obnoxia est, rami enim tantum minores sursum versus abdominis musculos dimituntur. In cadauere vero puellae vnius anni et anastomoses epigastricae, et mammariae euidentiores deprehendimus, et simul ab arteria circumflexa cristae ilei ramum aliquem insignem non procul ab ortu secedere vidimus, qui sursum per musculos abdominis vsque ad mediam partem deferebatur, et vtrinque cum epigastrica et lumbari apertis satis anastomosibus cohaerebat, ex cuius forte rariori praesentia in paracentesi abdominis varia oriri possunt incommoda.

Varietates, in arteria femorali eiusque ramis, in crus et pedem extremum distributis, occurrentes nunc non tangimus, cum singulares nobis non obuenerint; ad id potius nos conuertimus, quod huic prolusioni exarandae occasionem dedit. Commendandus nimirum est

NOBILISSIMVS ET CLARISSIMVS

D O M I N V S

D I E T E R I C V S M V M M S S E N

M E D I C I N A E B A C C A L A V R E V S D I G N I S S I M V S.

qui animo egregiis dotibus instructo ad scholas nostras accessit, et in colenda arte salutari tantam semper adhibuit diligentiam, vt nunc praemia studii non tantum communi
Prae-

Praeceptorum consensu capiat, sed iis quoque condecoratus ad maiorem cognitionis laudem progrediatur.


Natus est Hamburgi, die vicesimo quarto Iunii, anno huius seculi tricesimo septimo, Patre **IACOBOM V M M S S E N**, Mercatore in vrbe patria prudentissimo. Quem cum non multo post praematura morte sibi ereptum vidisset, lectissima Mater **CHRISTINA CATHARRINA**, e gente **BEHRENS**, quam Noster adhuc superstitem veneratur, curam educationis studiose suscepit, eamque communicavit cum praeceptoribus, qui prima religionis et omnis doctrinae fundamenta in animo Nostri iecerunt. Eo autem ad studia colenda disposito, humaniores literas, quae verae eruditionis initia et adiumenta continent, priuata institutione **RICHERZII**, Med. Doct. **M V L L E R I**, scholae S. Iohannis Rectoris, et **B V S C H I I**, Prof. Cel. Gymnasii Hamburgensis didicit, et praestantissimorum horum virorum benevolentiam atque studium in se gratissima mente agnoscit. Ita enim ab iis instructus est, vt altiora studia academica cum fructu tractare posset. Lipsiam nimirum accessit anno quinquagesimo octauo, et a beat. **MAIO**, fasces academicos tunc temporis gerente, in numerum ciuium academicorum receptus est. Literas vero elegantiores, mathesin et philosophiam in hac nostra Academia coluit, et cum medica arte addiscenda coniunxit. A Cl. **HENTSCHIO** A. M. qui nunc scholae Cizensi praeest, et **ERNESTIO** A. M. literis latinis praecipue exercitatus, etiam S. **V. ERNESTI** lectionibus, quibus officia et orationes Ciceronis enarrauit, cum fructu interfuit, item **CLODII** A. M. ex cuius consuetudine multa commoda in eum redundarunt, praelectionibus

nibus Horatianis, criticae auctorum latinorum et disputatorio collegio adfuit. Cl. GELLERTI quoque non solum benevolentiam expertus est, sed eum etiam in doctrina morum et elegantioribus literis Praeceptorem habuit. In mathesi pura et applicata et WITZLEBIUM et M. RVDOLPHVM sequutus est. In vniuersa philosophia quidem WINCKLERVM ducem elegit, qui et physicam experimentis illustratam eidem tradidit, et praeterea electricitatis naturam studiosius declarauit. Praeterea vero S. V. CRYSIVM, philosophiam morum, et BORTZIVM Prof. logicam explicantem audiuit. Iam parato sedula harum doctrinarum tractatione aditu ad medicinam, scholas medicorum simili industria frequentauit. Et BOSIVM quidem, cuius benevolentiam in valetudine tuenda et restituenda aliquoties expertus fuerat, in botanicis quoque, anatomicis et physiologicis, nec non in arte disputandi praeceptorem sibi elegit. POERNERI quoque consiliis et benevolentiae multum se debere profiteretur, ab eo enim materiam medicam, chemiam et therapiam generalem accepit, et examinando coluit. GEHLERVS chemiam et artem obstetriciam ei tradidit, eumque in disputatorium collegium recepit. A beato IANCKIO anatomen et artem dissecandi cadauera accepit, et semper beneuole adiutus fuit, POHLIO etiam in lectionibus anatomicis adfuit, eoque duce cadauerum dissectiones ipse sedulo instituit, PLAZIVS, Ordinis Nostri Senior, examinando et disputando varias medicinae partes illustrauit. Ab omnibus ergo his praceptoribus singulari benevolentia exceptus, iisdem me interprete publice nunc grates agit decentissimas, et vt iis se porro commendat, ita memoriam beneficiorum nunquam obliuione se deleturum esse,
sancte

sancte pollicetur. Quem ergo omnes ita amabant, eum ego etiam amaui, et consiliis, quantum in me fuit, adiuui. Mihi enim sub ingressum in academiam ab amicis commendatus, ac consuetudine ferme quotidiana iunctus, crebram, sed semper gratam suis studiis inseruendi occasionem dedit. Physiologiam, pathologiam, ac therapiam generalem, et paulo post praxin clinicam, chirurgicam et forensam me duce coluit, et formulas medicas concinnandi artem in exercitationibus medico practicis accepit, et animum discendi cupidum ita demonstravit, ut nullus dubitem, eum futuris temporibus ad felicissima semper artis incrementa progressurum esse. Specimina quoque, quae interea temporis edidit, satis de laboribus eius rite collocatis testantur. Anno sexagesimo secundo die primo Septembris ad Ordine nostro tentatus, Baccalaurei honores cum laude tulit, et anno superiore die decimo quarto Nouembris et sequentibus, in lectionibus pro Licentia *in causas motus alterni cordis* inquisiuit. Edidit paulo post libellum *de lentarum obstructionum causis*, et hoc ipso anno die vicesimo secundo Februarii, ad examen practicum admissus recte respondit, dignusque iudicatus est, cui aditus ad summos in medicina honores concedatur. Dissertationem inauguralem *de corde rupto*, quam multo studio elaboravit, die XIII. Aprilis sine praeside defendet, Experient. GEHLERO actus disputatorii Moderatore assistente. Quo conflictu publico finito, ego Procancellarii munus mihi demandatum lubenter exequar, et oratione *de salubritate veris* recitata, Cl. Dn. Candidato Licentiam ad summos in arte nostra honores et titulos adspirandi tribuam, et eundem ad culturam studii in exteris terras profecturum piis votis comitabor. MAGNIFICVM
itaque

itaque ACADEMIAE RECTOREM COMI-
 TES ILLVSTRISSIMOS VTRIVSQUE
 REIPUBLICAE PROCERES GRAVISSI-
 MOS necnon GENEROSISSIMOS atque NO-
 BILISSIMOS DOMINOS COMMILITONES
 omni, qua par est, obseruantia et humanitate rogo, vt pane-
 gyryn hanc praesentia sua solemniorem reddant, Ordinique
 nostro Cl. Dn. Candidato et mihi faueant. Dabam Lipsiae
 Dom. Iudica d. VIII. Aprilis. A. O. R. MDCCLXIV.

L I P S I A E
 EX OFFICINA LANGENHEMIA.



Biograph. Katalog Nr. 20

~~V. 117~~

Anat. A 258²

